tamen illius temptat. ¶ Quinta est quod potestas
anime in operibus bonis lassat. sicut quando
post onus super equum. minus erit promptus ad
ambulandum. ¶ Sexta est quod retardat a gloria
quia homo qui debet et posset statim
post mortem evolare. cogetur propter venia-
lia ad tempus in purgatorio expectare. sicut quando
enim ab aliquo facies dei videbitur do-
nec solvat per penas minimum quadran-
tem venialium peccatorum. oportet enim quod ita
mundus esse introitum paradysi sicut fuit
in innocentia baptismi. ¶ Septima quod bonum glorie
celestis diminuitur non quidem illa que
iam debentur et que habemus ibi per nichil re-
posita. sed que deberentur si venialia non
fuerint. quia medio tempore possent
aliqua bona fieri que illa fuerunt. Sed post
perpetrationem venialium oportet nos opera quedam
convertere ad solutionem huius debitorum per que
nobis debet crescere cumulus eterni premii.
¶ Octava effectus est quod venialia sepe sunt
occasio peccatorum mortalium et hoc quattuor modis.
sicut habes supra titulo primo. Vide ibi quomodo
actus qui ex se est venialis potest fieri
mortalis quattuor modis. ¶ Hoc est singulariter
advertendum quod sicut ad remissionem
peccati mortalis exigitur detestatio actus peccandi
cum voto in posterum abstinendi. sic quando
peccatum veniale complenti non dimittitur
nisi actu et proposito deseratur. De vii vi-

ciis capitalibus in genere.

**P**eccatorum actualium unum est initium. Duplex
radix. Triplex fomentum. Septiforme
caput. ¶ Unum initium vel summum vitium illud
initium omnis peccati superbia. ¶ Duplex no-
radix est scilicet timor male humilians et
amor male accendens. Tamen omnis timor
ortum habet ab amore. Nullus enim ali-
quid timet perdere nisi quia amat id habere.
¶ Triplex peccati fomentum est scilicet triplex quod est
in mundo hoc est concupiscentia carnis. concupiscentia

oculorum et superbia vite. ¶ Septiforme caput
scilicet Superbia. Invidia. Ira. Accidia. Avaricia.
Gula. Luxuria. Inter que sunt quinque spiritua-
lia. duo vero carnalia. ¶ Sufficientia
horum vii viciorum sic potest
intelligi. Voluntas nostra deordinatur
aut quia appetit non appetenda. aut quia
refugit quod non est fugiendum. Si primo
modo aut est intus et sic superbia. aut
extus et sic avaricia. aut inferius et
tunc est delectabile. Sed delectabile
aut est ad conservationem individui et sic
est alimentum quod appetitur inordinate a
gula. aut est ad conservationem speciei et
sic est coitus qui appetitur a luxuria. ¶ Si autem
voluntas deordinatur quia refugit quod non
est fugiendum et hoc potest esse triplex. Aut
enim refugit secundum proprium instinctum
rationalis et sic est invidia. aut secundum instinc-
tum irascibilis et sic est ira. aut secundum instinc-
tum concupiscibilis et sic est accidia. ¶ Ex
hiis patet quod quattuor sunt principaliter appeti-
bilia et tres sunt vires secundum quarum
instinctum est fuga. ideo tamen sunt vii capi-
talia peccata. ¶ Peccata que dicta sunt quinque
publice se ostendunt. ita quando direc-
te fiunt. quinque vero sub quadam specie boni
palliata decipiunt. ¶ Unde superbia quinque
dicit. Adhuc volo preesse ut possim
prodesse. ¶ Ira dicit. Non debent illata
mala tolerari. ne consuescant inferri.
¶ Invidia dicit. Aliis bona non cupio
ne in successibus eleventur. ¶ Accidia
dicit. Adhuc in laboribus in parte ne in
delectationibus arguar. ¶ Avaricia dicit. Adhuc
sunt multa congreganda ne propter inopiam
committatur furtum vel rapina. ¶ Gula dicit.
Adhuc est corpus cibis et potibus delicato-
ribus nutriendum ut sit fortius ad deum
serviendum. ¶ Luxuria dicit. Ad tempus
debet quilibet ad libitum vivere et postea

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_342/0085
MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG